Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0002-0

10500.
1780,9.

# DE VICARIATV SAXONICO

## LIBELLVS PRIMVS

SCRIPSIT

ET

PRAESIDE

VIRO SVMME REVERENDO

CAROLO FERDINANDO HOMMELIO

FAC. IVRID. ORDINARIO RELIQ.

D. X. OCTOBR. CIƆIƆCCLXXX.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

CHRISTIANVS DANIEL ERHARD

DRESDANVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA HOLLII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0003-5

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

# FRIDERICO LVDOVICO

# W V R M B

DOMINO ET DYNASTAE IN GROSSEN-FVRRA

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS COMITI CONSISTORIANO DEPVTATORVM AD RES OECONOMICAS ET MERCATVRAE DIRECTORI ET ORDINIS IMPERIALIS STI IOSEPHI COMMENDATORI REL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0005-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0006-2

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

# CHRISTIANO GOTTHELF
# L. B. de GVTSCHMID

DOMINO ET DYNASTAE IN KLEIN - WOLMSDORF

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO DEPVTATORVM AD RATIONES PVBLICAS DIRECTORI REL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0007-8

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

ADOLPHO HENRICO S. R. I.

COMITI de SCHOENBERG

DOMINO ET DYNASTAE IN BERTHELSDORF

ET NIEDER-OTTENDORF SERENISSIMI ELECTORIS

SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO REL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0009-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0010-4

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

# IOANNI AVGVSTO HENRICO ROEDER

SERENISSIMI SAXONIAE DVCIS ELECTORIS COMITI CONSISTORIANO REL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0011-9

P A T R O N I S
SVMMA PIETATE
C O L E N D I S.

# ILLVSTRISSIMI DOMINI,

Quanta pietate VOS colam atque venerer, poſſe VOBIS publice teſtificari nunquam non mihi in votis fuit. Cuius rei nul-

*lam opportuniorem videor mihi occaſionem habiturus, quam ſi has ſtudiorum meorum primitias, in quibus de Sereniſſimi Ducis Electoris Saxoniae iure ampliſſimo diſputare inſtitui, VOBIS offeram, quorum ille conſiliis in Saxonia gubernanda feliciſſime utitur. Vt igitur hunc libellum, qualiscunque a me proficiſci potuit, non modo tanquam ſignum pietatis erga VOS meae, verum etiam tanquam animi cupientis inſeruire pro modulo virium publicis vtilitatibus, benigne accipiatis, et ſicubi rei,*

*quae*

*quae a me tradatur dignitatem oratio mea non exaequauerit, id adoleſcentiae meae condonetis, maximopere VOS etiam atque etiam rogo atque oro. Supremum Numen VOS, ILLVSTRISSIMI PROCERES, quam diutiſſime in Patris Patriae miniſterium et omnium Saxoniae ciuium proſperitatem ſaluos atque incolumes conſeruet, bonorumque omni genere vniuerſas Domus VESTRAS ornet atque cumulet! Hoc ita precor, vti me cupio quam commendatiſſimum eſſe patrocinio VE-*

*STRO: quo me non indignum praeſtare omni opera et diligentia ſemper enitar.*

*ILLVSTRISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS*

*addictiſſimus cliens*

*CHRISTIANVS DANIEL ERHARD.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0016-8

De Vicariatu Saxonico aliquid conſcribere cum primum conſtituiſſem, idque conſilium doctis quibusdam viris aperuiſſem, alii eorum id mihi diſſuaſerunt, quod in tanta librorum ea de re conſcriptorum copia nihil noui a me afferri poſſe dicerent, alii probarunt, ſuadentes attamen, vt, antequam me ad ſcribendum conferrem, quos de Vicariatu ſcriptos libros haberemus, eos, quantum poſſem, omnes perlegerem. Horum conſilia ſecutus multa inueni, tum quae adhuc addenda, tum quae accuratius tractanda eſſe viderentur. Praeterea deprehendi pleroſque de Vicariatu conſcriptos libellos agere de Bauari et Palatini priſtina contentione, paucos de ſingulis iuribus vtrique Vicario competentibus, nullum peculiariter de Saxonico Vicariatu.

Acce-

Accedit, quod, qui Vicariatum hunc tetigerunt, ii vel origines eius minus recte indagaſſe, vel in fundamento eius conſtituendo viſi mihi ſunt peccaſſe. Illa igitur in primis mihi exponenda duxi. De terris vero Iuris Saxonici, quas vulgo ſic dicunt, licet GRIBNER *) et MOSER **) iam praeclariſſime ſcripſerint, horum tamen vterque definierunt eas eſſe, in quibus olim iuris Saxonici vſus inualuerit: id quod mihi ſecus videbatur. Neque de recentiſſimo diſſenſu, de terris quibusdam Veſtphalicis, qui Anno cIↄIↄccxxxx ortus erat, quidquam vsquam diſputatum inueni. Cum itaque animadverterem, non omnia ab auctoribus exhauſta, perſtiti in propoſito, aliquid de Vicariatu Saxonico conſcribendi, argumenti partes omnes totidem libellis propoſiturus. Ac primo quidem hoc libello generalia quaedam praemittam: reliqui ſinguli ſingula iura expoſita continebunt.

Hiſto-

*) In diſſ. *de terris Iuris Saxonici, in Opuſculis eius Tom. II. Sect. III. p. 132. ſſ.*

**) in libro eius: *vom Römiſchen Kayſer, Römiſchen Könige und denen Reichsvicarien Cap. XIII. p. 782.*

Hiſtoriam Vicariatuum a Sereniſſimis Saxoniae Electoribus geſtorum non addam, cum diligentiſſime conſcripta nuper a KLOTSCHIO et GRVNDIGIO *) prodierit, egoque in expoſitione vniuscuiusque iuris, quemadmodum id a Saxoniae Electoribus exercitum fuerit, ſtatim ſubiicere decreverim. Iam reſtat, vt Viris, qui me in hac re ſuscipienda tractandaque in primis conſilio atque libris adiuuerunt, debitas gratias hic publice agam. Ante omnes mihi commemorandus eſt Illuſtris DE PONIGKAV, Sereniſſimi Electoris noſtri Conſiliarius rei militaris intimus, vir de patriae noſtrae Hiſtoria et Iure Publico immortaliter meritus: qui nuper, cum Dresdae eſſem, praeſtantiſſimam et celeberrimam ſuam librorum ad Hiſtoriam praecipue patriam pertinentium collectionem mihi aperuit, et rariſſimorum ex iis copiam fecit, humanitate ac beniuolentia tanta, quam nunquam non gratiſſima et Viro tanto penitus deuota mente ſim venera-

*) *In denen Sammlungen zur Sächſiſchen Geſchichte. IX. Theil n. I.*

neraturus. Nec minus Illuſtris CRVSII Conſiliarii aulici et Bibliothecae Electoralis Praefecti, quem nulla ſatis laude poſſum praedicare, item Ampliſſimorum et praeſtanti doctrina Virorum CANZLERI et DASDORFII Bibliothecariorum Electoralium celebrari a me par eſt plenam officii voluntatem: qui mihi per totum menſem quotidie venienti ad ſe in Bibliothecam, omnes libros, et quos peterem, et quos ipſi vtiles mihi fore putarent, eo ſtudio praebuerunt, vt, ſi quid boni huic ſcriptiunculae inſit, hoc me iis maxima ex parte acceptum referre oporteat. Ceterorum quoque omnium, qui mihi varia ad libelli huius ornamentum vtilia ſuppeditarunt, grata mente beniuolentiam recolo.

## SECTIO I.

# DE VICARIIS S. R. I. EORVMQVE POTESTATE IN GENERE.

§. 1.

Qui in regno electitio lege fundamentali conſtitutus eſt, ad quem regnante ordinario defuncto iura eius omnia, vel eorum pars maior et praeſtantior tranſeat, donec alius ordinarius regnans electus fuerit: is eſt in eo caſu regnans extraordinarius, et maieſtatem eam habet, quae regnanti ordinario eſt delata, niſi quid nominatim fuerit exceptum. Atque hunc ſolemus *Vicarium*, *Proviſorem*, *Interregem* appellare.

§. 2.

Ita Sereniſſimos Electores, Palatinum atque Saxonem, S. R. I. Vicarios eſſe, nemo ignorat. Legibus enim funda-

mentalibus, Aurea Bulla a) et Capitulationibus b) Caeſareis delatam habent ſummam poteſtatem tempore interregni

a) Cap. V. §. 1. et 2. Verba ipſa addere ex inſtituto viſum fuit, vt exhibentur *in der Sammlung der deutſchen Reichsabſchiede Francof.* 1747. P. I. p. 58. et 59.

*„Quociens inſuper, vt premittitur, ſacrum vacare continget Imperium, illuſtris Comes Palatinus Reni, Sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Reni et Suevie et in iure Franconico, racione Principatus ſeu Comitatus Palatini privilegii eſſe debet prouiſor ipſius Imperii, cum poteſtate Iudicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica preſentandi, recolligendi redditus, et prouentus, et inueſtiendi de feudis, Iuramenta fidelitatis, vice et nomine Sacri Imperii recipiendi, que tamen per Regem Romanorum poſtea electum, ſuo tempore omnia innovari; et de novo ſibi iuramenta ipſa praeſtari debebunt, feudis Principum duntaxat exceptis et illis que Vanleben vulgariter appellantur. Quorum inveſtituram et collacionem ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervamus. Ipſe tamen Comes Palatin. omne genus alienacionis ſeu obligacionis rerum Imperialium, huius modi prouiſionis tempore expreſſe ſibi noverit interdictum.*

*Wie dicke iz hienach geſchicht daz daz heilige Rich ledig ſtet. So ſal der Palzgrafe von dem Rine Furmundir ſin des heiligin Richis von der Palzgraveſchafft wegin zu der hant eins künftigen Romiſchin Konigis in den landin des Rines und Swabin, und in frenſchin gebiete mit gewalt gerichte zu haltin geiſtliche gabe zu lihin gulte und geſelle in ſamen in lebin zu ſetzin. Eide umb getruwekeit an des heiligin Richis ſtat und in desſelbin Richis namen zu inphahin. dazſelbe ſal doch alles zu ſeiner Zit von deme Romiſchen Konige der darnach herwelit wird hernuwit werdin. und ſal man yme die eide alle von nuwen uff ſwerin. alleine uzgenomen der Furſtin lehin und vanlehin der lehin und inſetzin behaltin wir beſundir alleine dem Keiſir adir eyme Romiſchen Konige. Doch ſal derſelbe Palzgrave wiſzin daz yme uffinlichin virbodin iſt, alle virandirunge adir virſetzin des richis gut. die zit er Furmundir iſt.*

*„Et eodem iure proviſionis illuſtrem Ducem Saxonie, Sacri Imperii Archimareſchallum, frui volumus, in iis locis vbi Saxonica iura ſeruantur, ſub omnibus modis et condicionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.„*

*Der Hirtzauge von Sasſin ſal ein furmundir ſin an allin ſteden. da man Sasſin Recht heltit undir allir wiſze und maſze alſe da for uz iſt geleit.*

b) Cf. *Capitulatio Ioſephi II. Art.* 15 — 19. Quid ſingulis Impp. Capitulationibus de Vicariis Imperii contineatur, vid. ap. MOSERVM *im deutſchen Staatsrechte* P. VII. L. II. C. 14. §. 159. p. 419. — 422. De errore autem

regni exercendam. Cumque loco Imperatoris (*ſtatt eines Kayſers*) regnare dicantur, patet, eos omnibus, quibus ipſum Imperatorem iuribus gaudere, iis tantum exceptis, quibus expreſſe interdicuntur. Neque maieſtas, quam Caeſar habet, illis denegari vllo modo poteſt, cum ea ipſa iura, in quibus maieſtas ſpectari ſolet, iis fuerint relicta. Quod enim interdicuntur maiorum feudorum inueſtitura, id poteſtatem quidem eorum minuit, non maieſtatem tollit. Ipſe imperator multis in rebus poteſtatem habet arctiſſimis finibus circumſcriptam: nec ideo non competit ei maieſtas. Quidam ex nominis vi atque ſignificatione c) demon-



autem in Capitulatione Ferdinandi I. in hoc loco commiſſo, et in omnibus Capitulationibus Caeſareis, vbi Vicariorum Imperii mentio fit, repetito, donec in Capitulatione Caroli VII. corrigeretur vid. (SHMAVSS) *Anmerkung über eine Stelle der Wahlcapitulation Carls VI.*

c) Vt Vicarii dicerentur hinc factum eſſe videtur. Poſt Conſtantinum M. in imperio Romano erant quidam magiſtratus, qui vicariorum nomine veniebant, et vices praefectorum praetorio in certis dioeceſibus gerebant: de quibus plura videre licet ap. BRISSON. *de V. S. ſub voce Vicarius*, et ap PANCIROLLVM *de dignitatibus vtriusque imperii*. A quorum ſimilitudine locumtenentes illi, quos Imperatores quibusdam prouinciis Imperii, praecipue in Italia, praefecerant, (cf. *Münchhauſen de Vicariatu italico*) Vicarii dicti eſſe videntur. Qui cum etiam defuncto Caeſare per prouincias ipſorum curae demandatas munus ſuum continuarent, factum eſt, vt Interreges totius Imperii etiam Vicarii appellarentur. Accedit, quod in eccleſia non minus vſitatum erat hoc vocabulum. Qui enim munus epiſcopi vel canonicorum (DV FRESNE *ſub voce Vicarius*) adminiſtrant, vicarii dicuntur. Atque hoc non minimum contuliſſe videtur, vt Prouiſores Imperii, licet munere illis diſſimiles, Vicarii dicerentur. Hoc vero ipſum nomen cauſſa praecipua fuit, quae falſas de poteſtate Prouiſorum Imperii opiniones procrearet. Cum enim plerique adhaererent vocabulo *Vicarius*, quod eum, qui vices alterius gerit, indicare videbant, in eam inducti ſunt opinionem, vt Interregem aut defuncti, aut futuri Imperatoris vices gerere putarent.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0023-6

monſtrare conantur, Vicarios tantum vice Caeſaris regnare. Sed vtrius Caeſaris, defuncti, an eligendi? Defunctus non eſt amplius Imperator, cuius vices geri debeant: eligendus autem nondum Imperator eſt, vt vices eius geri poſſint. Quod ſi quis miniſtros Imperii atque magiſtratus eſſe dixerit, huic aperte repugnant verba legum fundamentalium, vbi dicuntur Imperatoris loco regnare, [d]) *ſtatt eines Kayſers.* Cum autem nemo, qui ſaniora Iuris publici, tum vniuerſalis, tum Germanici, principia tenet, Imperatorem pro miniſtro Imperii habeat, vt HIPPOLITVS A LAPIDE, in famoſiſſimo illo libello *de ratione ſtatus in Imp. Rom. Germ. P. I. C. III. ſſ.* ſed monarcham eſſe ſtatuat, cuius poteſtas ſit legibus fundamentalibus limitata: ſequitur eos, qui in locum eius, ſuccedunt, licet ipſorum poteſtas magis etiam limitata ſit, eadem tamen, qua illum, frui maieſtate. Praeterea cum in eo quoque regnantis a magiſtratu ſpectetur differentia, quod rationes actorum ſuorum reddere non debet regnans; debet magiſtratus: planum ct euidens eſt, Prouiſores Imperii, qui nemini de actis ſuis reſpondere coguntur, non magiſtratus, ſed regnantes eſſe. Quod vero acta eorum confirmanda ſunt ab Imperatore poſtea electo: id non eum in finem fieri ſolet, quaſi [e]) ea confirmatione opus ſit, vt vim et

d) Sic enim ipſa Caroli VII. Capitulatio art. XIX. §. 9. hanc rem exprimit, MOSER autem *von dem Röm. Kayſer König und den Reichsvicarien* (1767) p. 796. narrat Bohemum 1711. poſtulaſſe vt loco *anſtatt unſer* poneretur *in unſerm Nahmen,* hoc vero non obtinuiſſe.

e) cf. MOSER *l. c. p. 798. §. 54. Ob wohl der Reichsvicarien Handlungen, ſo fern ſolche denen Reichsgrundgeſetzen und dem Reichsherkommen gemäſs ſind, eben ſo wenig einer Beſtättigung bedörfen, als das, was ein regierender Kayſer, (welchen ſie vorſtellen) ſelbſten in Regierungsſachen thut, ſo iſt doch herkommlich, daſs ermelte Vicarien ihre Vicariatsacta durch den Kayſer beſtätigen laſſen.*

et auctoritatem habeant: ſed vt Imperator ſe nihil nouaturum aut mutaturum eſſe declaret atque promittat. Neque vllo modo ea res arguit poteſtatem quandam Imperatoris in Vicarios, quatenus Vicariatum adminiſtrarunt: cum id ipſum, vt acta eorum confirmet, lex et conditio ſit, quae in Capitulatione ipſi praeſcribitur, f) ita, vt ne liberum quidem ei ſit, eam confirmationem illis denegare.

§. 3.

Docuimus iam, S. R. I. Prouiſores gaudere plerisque iuribus Imperialibus, iisque praecipuis: deinde eos haec libere atque independenter exercere. Hinc patet, eos eſſe: *Regnantes temporarios, legibus fundamentalibus S. R. I. conſtitutos et confirmatos, quibus vacante Imperio ſumma competat eius adminiſtrandi poteſtas.* Haec viſa ſunt praemittenda eſſe, vt eo commodius in Vicariatus Saxonici originibus indagandis verſari poſſimus. Plerique enim in ea re commiſſi errores inde orti ſunt, quod homines docti Vicariatum Imperii, qualis eſt is, quo nunc ex A. B. gaudent Sereniſſimi Saxoniae Electores, non probe diſtinxerunt ab aliis, ſed plane diuerſis muneribus. Ita fuerunt, qui Imperii Vicarios ſimiles putarent Maioribus Domus et Comitibus

f) Vt videre licet in *Capitulatione Caroli V. articulo XXVI.* et in omnibus Capitulationibus ſequentium Imperatorum, qui in interregno ſunt electi, praecipue vero in Franciſci imperatoris, Art. III. §. XIX. et XX. Cf. MOSERVM *ad eundem T. II.* p. 30. Quod vero in Capitulatione Leopoldi imp. conditio haec non reperitur, eius omittendae cauſa fuit diſſenſio inter Bauarum et Palatinum. Leopoldus autem antequam electus eſſet, in euentum dederat et Bauaro et Saxoni huius confirmationis cauſa literas reuerſales: quas reperies *in der Sächſiſchen Vicariatsgeſchichte*, quae exhibetur *im* IX. Th. *derer Sammlungen zur Sächſ. Geſchichte p. 181.*

tibus Palatinis, vt TOLNER g) et PFEFFINGER h) quos multi alii ſecuti ſunt; item Vicarios ſingularum prouinciarum, (*Kayſerliche Statthalter*) vt i) SPRENGER, ) GEWOLDVS aliique, qui Hermannum Billingum putarunt Imperii Vicarium fuiſſe. Quos omnes cum res ipſa et hiſtoriarum ratio ſatis refellat, ſingulos hic refutare non videtur opus eſſe.

## SECTIO II.

## DE ORIGINE VICARIATVS SAXONICI.

### §. I.

In indagandis Vicariatus Saxonici originibus ſi minus feliciter hucusque verſati ſunt eruditi homines, videtur inde factum eſſe, partim quod genuinis hiſtoriarum fontibus neglectis ſuam quisque opinionem ſecutus eſt, partim quod munus Prouiſorum Imperii, quale in praecedente Sectione deſcripſimus, a munere Procuratorum Caeſareorum, quibusdam Germaniae territoriis olim praepoſitorum non ſatis diſtinxerunt. Equidem noua quadam ratione, vel quae certe in indagandis Vicariatus Saxoniae originibus adhuc minus vſurpata fuit, videor ex optimis hiſtoriarum Germanicarum fontibus argumenta collegiſſe, quibus demon-

g) *in hiſtoria Palatina (Frf. 1700.) Cap. IV. p. 109.*

h) *in Vitriario illuſtrato. P. I. Tit. XI.*

i) *in Fontibus Iur. Publ. p. 1128.*

k) *de Septemuiratu c. 11.*

monſtrari poſſit, Vicariatum Saxonicum per Auream Bullam a Carolo IV. eſſe inſtitutum. a) Primo igitur docebimus a Carolo M. vsque ad triſtia illa Germaniae tempora, quibus magnum interregnum vulgo ſic dictum fuit, nullum plane fuiſſe Vicariatum, qui familiae aut muneri alicui ex lege, aut conſuetudine adhaereret: deinde a Rudolphi I. temporibus vsque ad Auream Bullam ſoli Electori Palatino ius illud competiiſſe oſtendemus: denique quae cauſſae permouerint Carolum IV. vt Vicariatus partem El. Saxoniae tribueret, indagabimus.

§. 2.

Carolina ſtirpe Imperium tenente, licet regnum eſſet quaſi mixtum ex electitio et ſucceſſorio, b) tamen ea ſemper ratio ſeruabatur, vt Imperatore mortuo proximus eius agnatus

a) Eorum, qui ex antiquiſſimis Regni Germanici temporibus origines Vicariatuum ducere ſtuduerunt, agmen ducit TOLNERVS *in hiſtoria palatina Cap. IV. pag. 109.* et PFEFFINGERVS *in Vitriario illuſtrato, qui Tom. I. Cap. XI. pag. 981.* de Vicariatu Saxonico agens, cum inde ab illo tempore, quo ſub Carolo M. Saxonia cum regno Francico coniuncta eſt, coepiſſe dicit.

b) STRVBEN *ob und welcher geſtalt Teutſchland im X. XI. und XIIten Säculo ein Erbreich geweſen, in eiusdem Nebenſtunden IV. Th. XXIV. Abhandl. p. 115.*

MONTESQVIEV *de l'esprit des loix L. XXXI. Cap. I. p. 514.*

*La couronne au commencement de la ſeconde race fut elective, parceque le peuple choiſit; elle fut hereditaire, parcequ' il choiſit toujours dans la même famille.*

ORIGG. GVELFICAE. T. II. p. 237. *Germaniae regnum verbis quidem electiuum, re autem ipſa, ſcilicet, ſi maſculi heredes, ſiue liberi generis maſculini ſupererant, hereditarium fuit.*

natus ad regnum perueniret. Cum igitur nunquam deeſſet agnatus, qui ſuccederet, nulla oriebantur interregna, et ideo ne Vicariis quidem opus erat. Cum vero Ludouicus infans vltimus ex Carolina ſtirpe anno 911. diem ſupremum obiiſſet, Hatto Archiepiſcopus Moguntinus et Otto Illuſtris Saxoniae Dux, qui regis impuberis antea curam geſſerant c) regni adminiſtrationem ſuſceperunt, donec electus eſſet Conradus I. d) In hoc fortuito euentu, nullo modo Vicariatus Saxonici originem quaerendum eſſe arbitramur: Non enim ab iſto tempore vsque ad Auream Bullam reperitur extare vllum exemplum regni poſt mortem imperatoris a Saxoniae duce adminiſtrati. Ergo ex regni adminiſtratione ab Ottone Illuſtri ſuſcepta nullum extitit ius, nulla conſuetudo. A Conrado autem moribundo Henricum Saxoniae ducem fratri, caeterisque Imperii principibus commendatum fuiſſe, vt eum ſibi ſucceſſorem conſtituerent, docet DITHMARVS MERSEBVRGENSIS. *L. I.* e) LVITPRANDVS. *Lib. II. c.* 7. f) et EVERHARDVS *de eccleſiae Gandersheimenſi Cap.* 28. *et* 29. g) Atque hoc ei principes promiſiſſe, nec multo poſt ab iis Fritzlariae Henricum electum, aut potius priorem electionem ſolenni modo confirmatam eſſe legimus. Non mirum igitur

c) LATOMVS *in Cathalogo Archiepiſcoporum Mogunt.* ap. MENKENIVM *in Script. Rer. Germ. T. III. pag.* 465. „*Cuius etiam* (*Ludouici Infantis*) *Hatto cum Ottone Saxoniae duce genero imperatoris, tutor fuit, cum ſeptennis patrem amiſiſſet, ſtatimque in imperio ſucceſſiſſet.*

d) idem: „*paulo poſt rege, inquit, praematura morte ſublato, Moguntinus cum Saxone, penes quos rerum ſumma hactenus fuerat, ad imperium euehunt Conradum, etc.*

e) In LEIBNITII *ſcript. rerum Brunſvicenſ. T. I. pag.* 325.

f) in REVBERI *Script. rer. Germ. p.* 155.

g) apud LEIBNITIVM *Tom. III. pag.* 163.

tur eſt, quod nihil plane traditum eſt de interregno cum aut nullum, aut certe breuiſſimum plane fuiſſe ex iis locis, quae dixi, appareat. [h]) Otto autem II. cum filium iam ante ad regnum deſtinatum impuberem [i]) reliquiſſet, a Theophania matre atque ab Adelheide auia et Mathilde Abbatiſſa Quedlinburgenſi nouimus adminiſtratum eſſe Imperium. [k]) Theophania vero cum diem ſupremum obiiſſet, [l]) Adelheidis vna cum Mathilde regni curam ſolae ſuſtinuerunt. [m]) Videtur quidem cum his, quae diximus pugnare DODECHINVS

h) Ab Henrico I. vsque ad Ottonem III. non fuit interregnum, cum defunctum patrem ſemper filius in regno ſtatim exciperet. Plane igitur de iis tacui: quod etiam in poſterum ſemper faciam, quoties a Rege Romano antea electo regnum ſtatim poſt imperatoris mortem ſusceptum fuiſſe inuenero.

i) Hic et alii ſimiles caſus ideo videntur eſſe memorabiles, quod ſi legitimi tunc fuiſſent Vicarii, certe ipſi praecipuam regis impuberis et regni curam ſuſcepiſſent.

k) DITHMARVS *l. c. p. 340.* CHRONOGRAPHVS *Saxo* ad ann. 984. Idem ad annum 966. CHRONICON QVEDLINBVRGENSE ad annum 984. et 985. quae loca laudauit et exhibuit SCHWARZIVS *de Mathilde Vicaria imperii* (*Altorff.* 1736.) §. *X. p.* 53. 58. *ſq.* De Lotharii regis Franciae et Henrici Ducis Bauariae conatibus imperii curam ad ſe rapiendi vid. ibidem §. p. 56. et 58.

l) In anno mortis eius definiendo diſſentiunt ſcriptores. HERMANNVS CONTRACTVS *anno 990. Theophaniam graecam imperatricem nono viduitatis obiiſſe* refert, cum quo conſentit DITHMARVS. SIGEBERTVS vero GEMBLACENSIS ad ann. 991. haec retulit. Equidem ob conſenſum duorum horum fide digniſſimorum ſcriptorum, priori ſententiae maiorem fidem habendam exiſtimo.

m) cf. DITHMARVS l. c. pag. 350. et ODILONIS CLVNIACENSIS *vita Sanctae Adelheidis* ap. *Leibnit.* Tom. I. pap. 481. de Mathilde vero cfr. SCHWARZIVS l. c. pag. 62.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-462759-p0029-3

NVS *in appendice ad* MARIAN. SCOTVM ad annum 1160. n) *Villegiſus enim Archiepiſcopus*, inquit, *Ottonem adhuc valde puerum et imperatorem educauit, et interim per XVI. annos Romanum rexit imperium*; item locus *vitae Ezonis Comitis Palat. in Actis Sanctor. ad XXV. Mai.* exhibitae, vbi dicitur imperatrix Theophania in *diſponendis Galliae Germaniaeque negotiis Ezonis Comitis Palatini intuitam fuiſſe conſilia.* o) Non minus DITHMARVS Lib. I. p) *regem tenellum ab Henrico Bauar. Duce, a Warinone Colonienſi Episcopo, cuius firmae fidei ab imperatore fuiſſet commiſſus, ſuſceptum fuiſſe* narrat. Sed hunc diſſenſum optime componi poſſe arbitror ex ODILONIS *Abbatis Cluniacenſis vita St. Adelheidis*, q) qui eam ab imperii principibus conſilio adiutam eſſe narrat. Idque puto etiam in Theophania locum habuiſſe, ita vt omnes ii principes, qui ab auctoribus ſupra citatis nominantur, conſilii eius participes fuerint. Poſt Ottonis III. obitum Heriberti, Archiepiscopi Colonienſis maximam fuiſſe auctoritatem, ex iis intelligimus, quae SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad annum 1002. in Chronico ſcribit: r) *Dux Bajoa-*

n) In PISTORII *Scriptoribus rerum Germanicar. Tom. I.*

o) Eundem locum ad firmandam ſententiam, quaſi ratione Vicariatus iam tunc competentis Comitibus Pal. regnum Ezo adminiſtraſſet, attulit TOLNER *in hiſtor. Palat. Cap. IV. p. 126.* cuius opinio quam falſa ſit, res ipſa quemque docebit.

p) pag. 347. l. c.

q) Verba haec ſunt: *Otto vero vnici ſui filius a primatibus regni feliciſſime et honeſtiſſime educatus. — Idcirco meritis auiae et induſtria primatum Rom. Imp. adeptus eſt principatum.*

r) *ap.* VRSTISIVM *in Script. rerum Germ. Part. III. fol. 121.*

*Bojoariae Heinricus*, *iniuriato Heriberto Colonienſium Archiepiſcopo a cuius ore omnes pendebant*, *inſignia regni ab eo violenter extorſit.* s)

Quis autem Henrico VII. defuncto interregni tempore fuerint Status Regni Rom. Germanici ſatis perſpicue docet WIPPO *in Vita Conradi ſalici*: t)

*Poſt imperatoris obitum reſpublica*, *amiſſo patre tanquam deſolata*, *breui vacillare coepit. Verum diuina prouidentia anchoras eccleſiae commiſit viris pontificialibus* (h. e. praecipue Archiepiſcopis) *et his gubernatoribus quales ad ducendam patriam ſine iactura in portum quietis eo tempore ſupereſſe oportebat. Nam cum Imperator ſine filiis obiiſſet*, *qui libet illuſtriſſimus ſecularium principum vi magi*, *quam ingenio vtebatur. Imperatrix vero* CVNEGVNDA, *quanquam maritali vigore deſtituta foret*, *tamen conſilio fratrum ſuorum Theoderici Metenſis Epiſcopi et Hetzilonis*



s) TOLNER l. c. Cap. IX. p. 234. ex *interpolato capite vitae Ezonis*, *Mathildis et eorum filiae Richenzae*, *monaſterii Browillerenſis fundatorum*, cuius capitis incertam, fidem ipſe PAPENBROCHIVS in *Actis Stor. XXI. Maj. p. 52.* demonſtrauit, referre non dubitat, regem moribundum inſignia imperii Heriberto commiſiſſe atque mandaſſe, vt ea ad Ezonem perferret: ſed Henricum ea Archiepiſcopo erepta intercepiſſe. PAPENBROCHIVS l. c. falſitatem huius capitis interpolati arguit ex eo maxime, quod ibi dicitur interregnum integro anno duraſſe, cum ex DITHMARO aliisque fide dignis ſcriptoribus conſtet, Henricum eodem anno eſſe electum. Quibus teſtimoniis fruſtra opponuntur a Tolnero loca recentiorum auctorum, qui nulſo modo cum antiquis illis comparandi ſunt, aut eorum fidem poſſunt infirmare atque dubiam reddere. Vt autem largiamur *Tolnero*, veram et certam eſſe narrationem illam Vitae Ezonis: quomodo inde confici poteſt, quod conficere vult, Ezonem ipſo iure tunc Vicarium Imperii fuiſſe? Non enim profecto de tam illuſtri re nec monachus Browillerenſis, nec caeteri ſcriptores tacuiſſent.

t) ap. PISTORIVM *in ſcript. rer. German. p. 423.*

*lonis Ducis Bauariae, pro viribus reipublicae ſuccurrebat, et ad reſtaurandum imperium aciem ingenii, mentisque ſollicitam conſiderationem direxit.*

Henricus IV. biennis iam in regem electus patri ſucceſſit anno 1056. cuius adhuc impuberis tutelam regnique adminiſtrationem, Adelheidis Imperatrix mater ſuscepit et ſtrenue adminiſtrauit u) donec filius ei vi ereptus eſt, a Moguntino et Colonienſi Archiepiſcopis et a Bauariae Duce: tunc autem ſtatutum fuit, vt Episcopus in cuius dioeceſi rex commoraretur, regni curam haberet, teſte LAMBERTO SCHAFFNABVRGENSI *ad anno* 1062.

Poſt Henrici V. diſceſſum ex vita magnam penes Moguntinum fuiſſe auctoritatem patet ex ORDERICO, qui haec ſcribit. w) *Moguntinus Archiepiscopus, qui potentia et ſtrenuitate pollebat, prouidentia ſua praecauit, ne ſchisma, vel ſurreptio imperii fieret.* Lotharii morte vacans Imperium quis et quomodo adminiſtrauerit, donec electus eſt Conradus III. nullis plane aequalium ſcriptorum docemur teſtimoniis: nec mirum, cum dies non amplius XVI interregnum durauerit. Neque poſt Conradi III. obitum quis iura Imperialia per interregnum exercuerit, vllis auctorum teſtimoniis cognitum habemus. Henrico VI. mortuo, eius fratrem Philippum Imperii ſupremum defenſorem principes eſſe iuſſerunt, donec Siciliae rex quadriennis, iam ante ad regnum deſtinatus, in Germaniam aduenilſet. cfr. OTTO DE STO. *Blaſio in appendice ad* OTTONIS FRISINGENSIS *Chroni-*

u) LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS ad an. 1056. ap. VRSTISIVM.

w) Quem locum citauit PAGIVS *in critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Baronianos. T. IV. p.* 441.

*Chronicon.* x) *Igitur mortuo,* inquit, *Henrico Imperatore, Philippus dux Sueuiae, frater ipſius, regreſſus in Alemanniam de partibus Tuſciae ſatagebat omnimodis, vt principes electionem, quam circa filium imperatoris fecerant ratam haberent. — diem colloquii in partibus Turingiae apud Villam Arnisperk praefixerunt, quo veniente Philippo duce cum caeteris, quos ſupra diximus, habito conſilio ipſum in defenſorem Imperii eligere decreuerunt, quoad vsque nepos ſuus imperatoris filius, dudum tam ipſo, quam a caeteris principibus electus, in Alemanniam deueniret.*

Otto IV. ex vita cum deceſſiſſet, interregnum non fuit. Fridericus II. enim iam 22. Iul. MCCXV. rex electus, viuo adhuc Ottone IV. ſtatim poſt eius obitum ſolus imperii totius regimen adiit. y) In eo autem interregno quod poſt Wilhelmi obitum fuit, magnam Archiepiscoporum Rhenenſium auctoritatem fuiſſe dicit *auctor paraleippomenorum Chronico Abbatis Vrspergenſis annexorum. Morte Wilhelmi vacante imperio coniectura eſt, rerum ſummam tum maxime conſtitiſſe in Archiepiſcopis Rheni.*

§. 3.

Ex his omnibus facile quisque videt, illis temporibus poſt obitum Imperatoris orto interregno ad nullum certum Imperii officialem aut ad vllam certam familiam, ius Imperii

rii

x) ap. VRSTISIVM p. 222.

y) TOLNER l. c. pag. 121. *Ottone* IV. inquit *deinde defuncto, Henricus Palatinus, vt Vicarius imperii inſignia imperii tradidit Friderico II.* Sed quod vt Vicarium eum hoc feciſſe dicit, vehementer errat: cum enim Henricus frater eſſet Ottonis IV. eiusque morienti proximus adeſſet, cui alii Otto imperii inſignia tradere potuit?

rii adminiſtrandi aut legibus, aut conſuetudine delatum fuiſſe. Non ſolum enim eorum nullam faciunt mentionem ſcriptores aequales, qui certe rem tam grauem tacituri non fuiſſent, verum etiam plurima eorum loca huic opinioni plane aduerſantur, vt patet ex iis, quae ante attulimus. Nam Imperii curam ſignificantur habuiſſe Duces atque caeteri Germaniae proceres, praecipue vero Archiepiſcopi. Quod clariſſimum fit ex Wipponis loco ſupra citato atque ex GÜNTHERI *Ligurino* vbi ſic loquitur:

*Francorum proceres, quos inclyta robora regem*
*Et validas nunquam pudeat dixiſſe columnas,*
*In manibus veſtris regnum eſt, ea quippe poteſtas*
*Ad vos more ſuo ſemper viduata recurrit.*

Nulli ergo adhuc illis temporibus lege aut more conſtituti vicarii fuerunt: nondum igitur nec Palatinus Vicariatus, neque Saxonicus tum locum habere potuerunt.

§. 4.

Nec magis in caſu abſentiae certus quiſquam princeps illa tempeſtate ius prouiſionis Imperii habuit. Liberum enim fuiſſe Regibus et Imperatoribus, quem vellent, Vicarium in abſentia conſtituere, innumeris docemur exemplis. Quorum pauca tantum afferam: quis enim omnia ennarret?

Otto I. anno 961. in Italiam profecturus, fratri ſuo Brunoni, Archiepiſcopo Colonienſi, Imperii filiique impuberis curam demandauit. Vid. ADAMVS BREMENSIS *in hiſtor.* Eccleſ. *p.* II. c. 4. et LEVOLDVS NORTHOFIVS *in Catalogo Archiepiſcoporum Colonienſium MSto.* z)

Sub

z) Exhibet locum hunc MEIBOMIVS *in Scriptoribus rerum Germanicar. in notis ad Wittichindi annales p. 681. Bruno imperatore fratre ſuo in Italia*

Sub idem tempus a Wilhelmo Ottonis I. ſpurio regnum adminiſtratum legimus apud WITTICHINDVM in *Annalium* eius Libro III. aa) et apud DITHMARVM libro II. bb) Otto III. in Italiam abiturus, curam Imperii demandauit Mathildi, Abbatiſſae Quedlinburgenſi; vt *Annales Hildeshemienſes* memorant ad annum 997. „*Imperator quo-„que, vt Romanorum ſentinam purgaret, Italiam perrexit „ſumma rerum dominae Mathildae amitae ſuae Quedlinburgenſi „Abbatiſſae, delegata* cc)

Henricus V. iter ſecundum in Italiam facturus Anno 1116. Conrado et Friderico Hohenſtaufiis demandauit Imperii procurationem, teſtibus OTTONE FRISINGENSI Lib. VII. Chron. Cap. 15. et DODECHINO ad annum 1116.

Fridericus I. expeditionem Romanam ſuſcepturus Anno 1154. Vlatislaum Bohemiae ducem ſua vice Imperii curam gerere iuſſit. dd) Idem Anno 1158. iterum Italiam petiturus

*Italia pro diſponenda republica moram faciente, Galliae et Germaniae tutelam ſuſcipiens etc.*

aa) *Eo tempore, quo haec in Italia gerebantur, ſummus pontifex Wilhelmus a patre ſibi commendatum francorum regebat Imperium.*

bb) l. c. p. 334. *Wilhelmus ſanctae Archipraeſul maguntiae cura ab imperatore domino ſuo et parente commiſſa fuit Parthenopolin diſponendi caeteraque regni neceſſaria regendi etc.*

cc) ap. LEIBNIT. in Script. rerum Brunsv. T. I. p. 721. cfr. SCHWARZII diſſ. de *Mathilde abbatiſſa Quedlinburgenſi vicaria Imperii* §. XII. pag. 67.

dd) vid. DVBRAVIVS *in hiſtoria Bohemiae* l.|XII. 94. in M. FREHERI *collectione ſcriptorum rerum Bohemicarum* (1602.) *Vlatislao tanta amicitia et familiaritate coniuncto, vt prima in Italiam, coronae imperialis capiendae gratia, qua ab Adriano pontifice donatus eſt, profectione, imperii Vicarium eum reliquerit rediensque teſtimonium ei bene adminiſtratae rei publicae perhibuerit.*

turus Reinholdum Archiepiſcopum Colonienſem, Imperio praefecit. ee) Fridericus II. Anno 1220. abſentiae cauſſa Imperii filiique curam dedit Engelberto, Archiepiſcopo Colonienſi. ff)

His et aliis tot exemplis, quae cumulare parcimus, victum ſe videns TOLNERVS, eo confugit, vt litterae reuerſales Palatino datas fuiſſe contenderet, quoties a Caeſare peregre abituro alius, quam ille, regni Germanici prouiſor conſtitutus fuiſſet. At nullis argumentis hanc ſententiam potuit confirmare. Nam exempla, quae ab eo afferuntur, quum ſint e temporibus poſt Auream Bullam petita, nihil omnino probant. Quod autem Palatinus aliquoties Imperatore abſente curam Imperii geſſit, nihil inde contra nos efficitur. Cum enim ſolerent Imperatores curam et prouiſionem dare, quibus vellent: non nunquam ſane fieri potuit, vt eam Palatino mallent, quam alii cuiquam dare. Fruſtra ergo TOLNERVS illud iactat in *Hiſtoria Palatina Cap. IV. pag.* 127. Henricum IV. in Italiam cum exercitu profecturum Henrico de Lacu Comiti Palatino Rheni ſummam rerum demandaſſe: cuius rei fidem facit ex diplomate Abbatiae Echternacenſis, quod exhibet DVCHESNE *in hiſtoria domus Lucenburg. Geneal. in Probatt. p.* 31. Cuius ipſius diplomatis verba, quibus id ſignificat, ius nullum arguunt Comitis Palatini. Sunt enim haec: *cui* (Henrico de Lacu) *ab Henrico Imperatore noſtro commiſſae ſunt habenae.* Quis non videat ſpeciale mandatum Comiti Palatino datum his

ee) cfr. FREHERVS in notis ad Petrum de Andlo Lib. II. cap. 10. p. 98.

ff) vid. LEVOLDI DE NORTHOF *Chronica Comitum de Marca ad annum* 1220. ap. MEIBOM. *in ſcriptoribus rer. Germanic p.* 388. CAESAR HEISTERBACENSIS in vita *Sti Engelberti* c. V.

his verbis notari? Quod autem anno 1225. Ludouicus Bavarus, Comes Palatinus Rheni, Regnum procuraſſe legitur apud CONRADVM DE FABARIA *de caſibus Monaſterii Sti Galli:* non ipſo iure id factum eſſe patet e CONRADI a LICHTENAV *Abbatis Vrspergenſis Chronico ad Annum* 1228. cuius verba haec ſunt: *Anno Domini* 1225. *Ludouicus Dux Bauariorum regis Henrici in rebus tam propriis, quam imperialibus, in Alemannia conſtitutus.* Qua conſtitutione quid opus fuiſſet, ſi Ludouico id ius vt Comiti Palatino iam antea competiiſſet?

Nullos igitur ad iſta vsque tempora Vicarios S. R. I. conſtitutos fuiſſe clarum eſt. Iam quod in Vicariatu Saxonico demonſtrando plerique afferunt exemplum Hermanni Billingi, valde id miror. Scimus enim hunc fuiſſe procuratorem imperatoris per Saxoniam: (*Kayſerlicher Statthalter*) quod munus praecipue ad rem militarem ſpectaſſe intelligimus ex WITTECHINDI *Annalium Lib. II.* gg) Finium autem curam in primis demandatam fuiſſe Billingo ex diplomate apparet, quod ex MSto citauit PFEFFINGERVS in Vitrario illuſtrato, T. I. pag. 981. Quo in diplomate *Marchio* vocatur, quod nomen deſignat Comitem finibus cuſtodiendis praepoſitum. Ergo inde ne minimum quidem argumentum duci poteſt, Vicariatum Saxonicum illo tempore ortum eſſe.

§. 5.

Primá Palatini Vicariatus certa veſtigia reperiuntur in litteris Rudolphi I. an. 1278. ad Ludouicum Comitem Palatinum

 gene-

gg) *Placuit igitur nouo regi nouum principem militiae conſtituere, elegitque ad hoc officium virum nobilem, induſtrium ſatisque prudentem, nomine Hermannum,* apud MEIBOM l. c. p. 643.

generum datis, quibus ei, vt Imperii Vicario Auſtriam commendat in caſum mortis ſuae his verbis: *Cum clariſſimus gener, princeps magnificus, Ludouicus, Palatinus Rheni, inter alias ſuorum principatuum praerogatiuas hoc inſigne ius habeat ab antiquo, quod vacante Imperio principatus terras poſſeſſiones et alia Iura Imperii cuſtodire debeat, quousque Romano Imperio de principe ſit prouiſum etc.* Quod vero dicitur Palatinus Rheni ab antiquo habere ius adminiſtrandi Vicariatum, inde videtur factum eſſe. Tempore magni interregni (merito et immerito ſic dicti,) hh) cum in Germania omnia miſcerentur, Imperii principes multa, quae Caeſaris beneficio ante adepti erant, quaſi iure debita ſibi vindicarunt. Veriſimile igitur eſt, in illa rerum turbatione etiam Comitem Palatinum, qui tunc inter potentiſſimos Germaniae principes numerabatur, nixum paucis illis exemplis, de quibus modo locuti ſumus, iura quaedam vicarialia ſibi vindicaſſe. ii) Rudolphus I. autem cum videret, quam ad praecauendas in imperio turbas neceſſarium eſſet, vt exorto interregno aliquis perpetua lege conſtitutus regi-

hh) Immerito Interregnum vocari dicas tempus illud, quo Richardus legitime electus imperium tenuit. vid. GEBAVER *im Leben* RICHARDS Lib. III. pag. 465. vbi ſingularem exhibuit diſſertationem ſub titulo: GRAB DES INTERREGNI. Sed merito ita vocari videtur, propterea, quod RICHARDVS fere ſemper in Anglia commoratus non potuit Imp. Rom. Germ. gubernare quodque in Germania per eius abſentiam omnia miſcebantur.

ii) id quod eum feciſſe intelligas ex Bulla Vrbani IV. Pontificis ad Richardum et Alphonſum data, et ex iis quae e *Kuchenbeckeri analectis Haſſiacis* attulit OETTER *im auferweckten Interregno*, quem locum laudauit Illuſtris RAVIVS in diſſert. *de vaſallis Imperii ab inueſtitura feudorum, quae tempore interegni a Vicariis recognouerunt, coram Imperatore poſtea electo renouanda immunibus* Lipſiae, 1777. defenſa.

regimen temporarium adminiſtraret, Ludouicum generum ad hoc munus elegit, praeſertim cum is ipſe tamquam iniecta manu illud ad ſe vocaſſe videretur.

Ludouicus Bauarus poſtea, vt reprimeret inſolentiam Pontificis Romani, [kk]) qui Vicariatum ſibi arrogare auſus erat, [ll]) 1339. Conſtitutionem edidit, in qua expreſſis verbis tribuitur Palatino Vicariatus. Eadem conſtitutio nullam facit Saxonis mentionem, cuius etiam ipſius iura, ſi qua tunc fuiſſent, Imperator profecto arrogantiae papali fuiſſet oppoſiturus. Igitur ſoli Palatino vsque ad Aureae Bullae tempora ius illud competiit. Nullum enim ad ea vsque tempora veſtigium reperitur Vicariatus a Saxone adminiſtrati. Quod enim ex *Iure Feudali Alemannico Cap. XLII. §. 6.* demonſtrare volunt, etiam ante Auream Bullam Vicariatum Saxonicum fuiſſe: an ea Collectio hic adhiberi poſſit, ad explendum aliorum teſtimoniorum defectum vehementer dubitamus. Nam permulta ibi ſunt recentiori tempore interpolata, quae a genuino textu dignoſcere ac ſeparare difficillimum eſt. Sed concedamus locum illum integrum atque incorruptum eſſe: nos ex eo ipſo videmur intelligere, ius Palatini duntaxat, non etiam Saxonis fuiſſe. De illo enim cum verba fiunt expreſſe dicitur: *Und obe*

 *Jme*

kk) Iam antea Clemens V. in Clementina Paſtoralis de Sentent. et Re Iudic. dixerat: *Pontificiem vacante Imperio ſuccedere Imperatori* et poſt Henrici VII. obitum Iohannes XXII. ex Iuribus *terreni ſimul et coeleſtis Imperii ipſi commiſſi Vicariatum vacante Imperio ſibi competere* affirmauit. vid. Extrav. Ioh. XXII. ſi Fratrum et coepiſcopor.

ll) Apud GOLDASTVM *in Conſtit. Imper. T. III. p. 411. falſiſſimum eſſe, per vacationem Imperii Ius ad Papam deuolui. Longa enim et approbata conſuetudine inconcuſſe a maiorum ordinatione hactenus obſeruata, vacante imperio ius adminiſtrandi Imperii Iura, feuda conferendi, et negotia caetera diſponendi Palatino Rheni debetur, non obſtante Clementina Paſtoralis.*

*Jme der Künig den Ban libet oder nicht, ſo hett er doch gewalt den ban zulihende, das iſt von dem Rechte.* De Saxone autem haec leguntur: *So der Künig von tütſchen Landen vert, ſo mag er des Riches Marſchalgk wol den Gewalt geben, das er den Ban libet. Und das iſt der Herzoge von Sachſen,* quam poteſtatem fuiſſe Imperatori, vt abſuturus bannum, cui vellet, adeoque etiam Saxoni daret, nemo dubitat: de iure autem Saxonis hic nihil memoratur. Per Auream Bullam vero cum diuideretur Vicariatus altera eius pars Electori Saxoniae attributa eſt. Quod tunc primum factum eſſe colligi poteſt etiam hinc, quod Aurea Bulla, cum de Palatino loquitur, conſuetudinis facit mentionem; cum autem de Saxone loquitur, omnem conſuetudinis mentionem planeomittit. Ergo quod Saxonici Vicarii plerumque in Litteris ſuis Vicarialibus, vulgo ſic dictis, mentionem conſuetudinis faciunt, non ſunt putandi, hoc ſuum ius Aurea Bulla antiquius eſſe exiſtimare, ſed illud ſignificant, ſe hoc ius non ſolum ex lege Carolina tenere, ſed etiam inde a quo tempore ipſis tributum ſit, exercuiſſe, nec ita neglexiſſe, vt in deſuetudinem abire potuerit: ob eam etiam cauſſam primum Aureae Bullae, deinde conſuetudinis mentionem facere ſolent. Veroſimillimum igitur eſt, per Auream Bullam demum Vicariatum Saxonicum coepiſſe. Quod vero tunc demum inſtitutum fuiſſe Vicariatum Saxonicum profiteor, nihil me profiteri puto, quod ſplendorem et amplitudinem obſcuret, aut minuat Saxonici Vicariatus. Non enim quod origo eius antiquior non eſt, quam Aurea Bulla, ideo ipſe minus iam et legibus fundamentalibus et conſuetudine eſt confirmatus.

§. 6.

Quare autem Carolus IV. Duci Electori Saxoniae hoc inſigne ius tribuerit, cauſſa haec videtur fuiſſe praecipua,

quod

quod in ſtirpem Saxo Vitembergenſem bene de ſe meritam vellet gratus eſſe. Illa enim ſemper et conſtanter pro eius partibus in Imperio contra aemulos ſteterat: ob quam cauſſam etiam excluſa gente Lauenburgica, votum electorale ſola acceperat. Accedebat quod proximum inter Electores Saeculares a Palatino locum teneret Saxoniae Elector; Archiepiſcopis vero, vtpote Pontificum, qui omnia ad ſe trahere nitebantur, aſſeclis hoc munus credere non ſatis tutum videretur, cum fortaſſe experientia cautos Imperii ſtatus iam in ea re feciſſet, et Carolum IV. monuiſſet.

## SECTIO III.

# QVO FVNDAMENTO NITATVR VICARIATVS SAXONICVS.

§. 1.

Diximus iam de Vicariatus Saxonici origine: nunc cuinam Sereniſſimi Electoris Saxonis officio potiſſimum ille adhaereat videamus. Mirus eſt in ea re Doctorum Iuris Publici diſſenſus, referentibus eum aliis ad Palatinatum, aliis ad Archimareſchallatum, aliis ad Ducatum, aliis denique ad Electoratum. Quod ad me attinet, ii mihi verum videntur amplexi, qui Vicariae adminiſtrationis ius ad Electoratum pertinere dicunt. In hac autem ſententia demonſtranda ita verſabor, vt primum contrarias virorum eruditorum ſententias refutare, deinde meam coniecturam confirmare ſtudeam.

§. 2.

Qui Palatinatui [a]) adhaerere Vicariatum Saxonicum putant, eorum praecipuum argumentum hoc eſt. Palatinatum Rheni, aiunt, propter munus Comitis Palatini habere adiunctum Vicariatum: eandem igitur Saxonici Vicariatus rationem eſſe debere. Quid, ſi prius illud verum negemus eſſe? Supra enim vidimus, antiquis temporibus paucos Palatinos fuiſſe Vicarios, et qui eorum abſente Imperatore Vicarii fuerunt, eos non ipſo iure, ſed ſingulari Caeſaris mandato Vicariatum geſſiſſe. Non igitur eorum Vicariatus inſeparabili nexu cum Palatinatu erat coniunctus. In locum Maiorum domus ſucceſſiſſe porro dicunt Comites Palatinos et quoniam illi regis vice regnum adminiſtraſſent, eandem prouinciam his quoque Comitibus Palatii demandatam eſſe oportere. Quae, vero ſimilitudo inter officialem, qui nomine regnan-

a) Eorum qui ſtudio partium ducti hanc ſententiam defenderunt, principes fuerunt ſcriptores Palatini: qui cum eam de Palatino Vicariatu contra ſcriptores Bauaricos attuliſſent et propugnaſſent, etiam de Saxonico illam ſibi affirmandam eſſe exiſtimauerunt. Videatur FREHER *ad Petrum de Andlo L. II. c. 9. p. 198. idem in Originibus Palatinis P. I. c. 16. p. 131.* 132. TOLNERVS *in hiſtoria Palatina Cap. IV. p. 139.* (Frf. ad Moen. 1700.) EZECHIEL SPANHEMIVS *de Iure Imperii Romani res tempore Interregni Vicario nomine adminiſtrandi. (Heidelberg 1657. 4)* qui libellus prodiit etiam gallico idiomate ſub hoc titulo: *Diſcours ſur les affaires d' Allemagne et ſur le Vicariat de l' Empire.* 4. GRATIANVS PHILOECVS (*Ioh. Freinshemius*) *de Vicariatu Palatino 1638. 4.* PFEFFINGER *in Vitriarjo illuſtrato T. I. Tit. XI.* De Vicariatu Saxonico, id tuetur GVNDLINGIVS *vom Sächſiſchen Vicariat, in Gundlingianorum* Part. *XXI.* n. *I.* idem *im Bedencken vom Urſprunge der Reichs-Vicarien* in ei. *Sammlung kleiner deutſcher Schriften* pag. 143—162. Reliquos omnes addere, qui illos ſecuti ſunt, videtur eſſe inutile.

regnantis inertis rempublicam dirigit eo viuo atque praeſente inter eum, qui legibus fundamentalibus conſtitutus regnans extraordinarius tunc demum regnat, cum regnantis ordinarii poteſtas aut eius morte, aut alio aliquo impedimento eſt ſublata? Quid vanae illae coniecturae valebunt contra fidem hiſtoriarum? Ad Auream Bullam provocant, vbi expreſſis verbis dicatur, Palatinum hoc iure gaudere propter Palatinatum. Sed ne moneam in verſione Moguntina dici — *von wegen der Pfalzgrafſſchafft und des Churfurſtenthums etc.* ex aliis diplomatibus patet, hic non intelligi munus illud iudicis ſupremi in aula Imperiali, ſed territorium, cui annexa erat dignitas ducalis et propter quod Electoratu gaudebat. Eum enim ſenſum alibi ſaepius indicatum videmus. Vt in Caroli IV. Diplomate ad Comit. Palat. Rupertum Seniorem b) de anno 1356. *Sintemal daſs der hochgebohrne Ruprecht der Aelter in Gewaehr hat das Fürſtenthum der Pfalz, das Truchſeſſenamt, die Land-Mannsſchafft und alle Zugehörungen, darauf die Chur-Stimme eines Pfallenz-Grafen bey Rhein gegrundveſtigt iſt.* Rurſus in eodem diplomate, „*daſs die Chur und Stimme auf das Fürſtenthum und „auf das Land der Pfallenz etc. gegrundfeſtiget ſind, alſo daſs das „eine ohne das andre nicht geſeyen mag.*“ Cum igitur Carolus IV. in Aurea Bulla non ſolum de Comitatu Palatii loquatur, ſed etiam de *Principatu ſeu Comitatu Palatino*, ita vt his tanquam ſynonymis vtatur; idemque in diplomate citato Electoratum annexum dicat: *dem Fürſtenthume der Pfalz*, et his verbis, quae ſequuntur, *die Chur und Stimme auf das Furſtenthumb und auf das Land der Pfallenz*, territorium ſignificet: in aprico eſt, Auream Bul-

b) ap. LVNIG. *Part. ſpec. von der Pfalz* n. CCXVII. *cf. etiam* n. CCXIII.

Bullam non loqui de munere illo Comitis Palatini, ſeu Iudicis Aulici, ſed de territorio, cui annexus eſt Electoratus. Itaque accuratior eſt huius loci verſio Moguntina, quam caeterae omnes, his vtens verbis, *von wegen des Churfürſtenthumbs und der Pfalz.* Videmusque iisdem fere verbis id expreſſum in Litteris FRIDERICI V. Elector. Palat. de Anno 1619. quibus Vicariatum ſe geſſurum eſſe poſt MATTHIAE Imper. obitum primoribus Imperii indicat: *und dannenhero uns, als regierenden* PFALZGRAFEN CHVRFÜRSTEN, *vermöge und nach Innhalt klärlicher Dispoſition der güldnen* Bull *etc.* c) Quam parum igitur hoc argumentum a Vicariatu Palatino deſumtum ad eorum ſententiam valeat confirmandam, qui Vicariatum Saxonicum ex Comitis Palatini officio tanquam ex fonte manare dicunt, manifeſtum eſt.

Atque etiamſi eorum ſententiam, qui Comitatus Palatini proprium Electoratum eſſe volunt, concederemus, tamen non ſequeretur, Saxonici Palatinatus eandem rationem eſſe, vt proprie ad hanc iudicialem poteſtatem Electoratus pertineat. Primum enim longe inferioris conditionis comites Palatini Saxonici, vtpote qui ne quidem Ducalem haberent dignitatem, nec ſuam poteſtatem extra territorium poſſent exercere: cum Comes Palatinus Rheni et in Ducum numero haberetur, et per totum Imperium d) ſupremus iudex Imperialis eſſet, quod erat Archiofficium iam pridem in regia aula Germaniae vſitatum. Nusquam vero plures

c) Eodem modo Carolus V. in reuerſalibus Ludouico Electori Palatino datis Anno 1521. de non praeiudicando iuribus Vicariatus ait adminiſtrationem imperii competere, vnicuique Comiti Palatino, qui ſit Elector: *einem jeden Pfalzgrafen der Churfürſt iſt.*

d) REINHARD *de officiis Imperii Saxonicis* Sect. I. §. VII. p. 42.

plures eiusmodi officiales fuiſſe legimus. Comites autem illi prouinciales videntur quodammodo ſub Ducum, Marchionum et Landgrauiorum auctoritate fuiſſe, qui etiam eorum paullatim dignitatem ſibi arripuerunt e). Hos ipſos autem Comites Palatinos Prouinciales, quod Vicarios Imperii fuiſſe dicit OHLENSCHLAGER *in der Erläuterung der güldnen Bulle ad h. l.* ei ſententiae hiſtoria omnis aduerſatur, nec veroſimile eſt, illorum regimini Duces Prouinciarum, quibus ipſi longe inferiores erant, Interregni tempore ſubfuiſſe.

Accedit, quod a Friderici Bellicoſi temporibus nullus Saxoniae Elector Palatini titulo eſt vſus, quem certe minime neglexiſſent, ſi Palatinatui munus tam graue et honorabile, qualis Vicariatus, annexum credidiſſent.

## §. 3.

Qui Vicariatum Saxonicum putant eſſe cum Archimareſchallatus dignitate coniunctum, f) eorum argumenta haec fere ſunt:

 Archi-

e) REINHARD loco citato pag. 41.

f) Praecipui horum ſunt I. P. de LVDWIG *ad A. B. Cap. V.* Idem *in Germania principe L. III. C. 4. 164. et 165. et Lib. V. Cap. 4. §. 1.* SPENERVS *in Iure Publico L. II. C. III. §. 4. et 11. L. IV. Cap. IX. §. 2.* STRVVE *in Syntagmate Iuris publici Cap. XIII. §. 25. et 26.* REINHARD in *diſſ. de officiis Imperii Saxonicis.*
